



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio III. De bello provt opponitur paci Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

impugnandam falsitatem, vel explorandam veritatem & hoc si debito modo & sine immodestis clamoribus fiat est laudabile, si minus moderatè, & cum nimia fiat acrimonia peccatum est saltem veniale, nisi tantus esset excessus immodestiae ac superbiae, ut graue inde oriretur scandalum.

Schismatis definitio & malitia.

Schisma rectè definitur peccatum quo aliquis separat se ipsum ab vnione capituli Ecclesiae, nolens ei obedire. Differt ab infidelitate, quia nihil negat à Deo reuelatum, & agnoscit Petri successorem esse caput Ecclesiae, sed recusat obedire illi, quod neget illum esse legitimè electum, vel esse legitimè depositum. Quantum hoc peccatum sit, quot modis committatur, & quas poenas mereantur Schismatici explicant Doctores in *questionem 39.*

Rixae definitio & malitia.

Rixa rectè definitur pugna quadam inter priuatas personas, orta ex mutua ira vel odio. Dissensio enim quae fit per externos aliquos actus inter personas priuatas rixa est, sicut dissensio cordium est discordia, & dissensio sermonum est contentio. Nec est dubium quin rixa ex parte inuicis, sit peccatum ex genere suo graue, si occidas, si vulneres, si damnum inferas graue Proximo. Ex parte defensoris non est peccatum si fiat cum iusto moderamine, quantum scilicet satis est ad repellendam iniuriam, licet enim vniciueque se ipsum defendere: sed aggredi alium, vel acceptam iniuriam priuatà vlisci autoritate, nemini licet: vt docetur in Tractatu de iustitia.

Seditionis definitio & malitia.

Seditio est dissensio ciuium inter se, idest bellum quoddam intra eandem rempublicam, pugnant enim aliquando inter se ciues, inuicem dissentiente, aliquando verò pugnant cum Principe à quo discordant. Quod peccatum quam sit graue, quam multis virtutibus contrarium, quanta continens peccata, quanta efficiens damna publica & priuata, non est opus dicere.

SECTIO III.

De Bello prout opponitur paci Charitatis.
S. Thom. quaest. 40.

His eo modo breuiter & strictim expositis placet de bello & de duello differere accuratius, quod de illis multa sint difficilia, & scitu dignissima. Quatuor autem satis sit dicere de bello: primò vtrum illud aliquando inter Christianos esse possit iustum, etiam ex vtraque parte. Secundò per quas personas illud iudici & geri possit vt sit iustum, tertio quas ob causas debeat geri, quartò quibus modis vbi dicitur de occasione innocentium, de spoliis, de captiuitate & ceteris huiusmodi, plura dabunt Bellarminus *tom. 1. l. 3. de membris Ecclesiae.* Valentia *q. 16. Suarez disp. 13. de charitate.* Castro *l. 2. de iusta punitione & c.* Victoria in *relezione de iure belli.* Couarr. *relezione in C. peccatum.*

§. I.

Vtrum possit bellum esse iustum & licitum, etiam ex vtraque parte.

Quid & quod duplex sit bellum.

Bellum appellatur voluntas illa & professio durabilis nocendi, vi & armis aduersariae parti. Potest illud esse defensiuum, quando suscipitur propter causam, quae adhuc est in fieri, vt si Principem actu possidentem, alius nitatur expellere, potest esse offensiuum siue aggressiuum, quando suscipitur ob iniuriam, quae est in facto esse, vt si nolit Princeps restituere quod iniuste viurpauit. Vtroque modo bel-

lum iniustum esse, plurimi dixerunt, tum veteres tum recentiores Harectici: Nam Manichaeos bellum omne damnassee testis est Augustinus *l. 2. contra Faustum c. 74.* qui fuit etiam VVicleffi error apud Valdensem *tom. 3. Tract. 24 c. 164.* Deinde bellum Christianis esse prorsus illicitum asseruerunt Erasmus & Anabaptistae. Denique bellum etiam aduersus Turcas esse illicitum, eo quod illi flagella sint Dei affirmavit Lutherus in articulis damnatis à Leone X.

Ratio autem dubitandi est multiplex Scripturae auctoritas, quae vetatur fidelibus bellum. *Isaia 2. non leuabit gens contra gentem gladium nec exercebuntur ultra ad praelium:* ad Rom. *12. nulli malum pro malo reddentes, non vos defendentes charissimi.* Deinde à concilio Niceno *can. 11.* damnatur militaris professio tanquam indigna Christiano: vnde à S. Leone *Epist. 9.* ad Rusticum dicitur illa esse contraria regulis Ecclesiasticis, & Origenes *l. 2. contra Celsum* dicit illam à Christo sublatam esse: & celebre est illud responsum S. Martini, *ego Christi miles sum mihi pugnare non licet.* Denique bellum non potest non esse malum, si sit contrarium paci charitatis, est autem contrarium vt patet: ergo illud est malum.

Secundò, illud est de se malum cui semper & infallibiliter annexa sunt innumera mala, nunquam enim licet facere mala vt eueniant bona. Bellum autem annexa semper habet innumera mala, ergo illud est semper malum.

Tertio, si bellum aliquando est iustum certè videtur quod illud esse potest iustum ex Vtraque parte non solum formaliter, sed etiam materialiter: nam v. g. si turrim hostilem miles aggrediatur, vbi sint innocentes, certè qui aggreditur iuste aggreditur, & innocentes ius etiam habent se defendendi, ergo tunc bellum ex vtraque parte iustum est. Similiter si quis innocens, secundum allegata tamen & probata damnetur à Iudice potest se defendere, vt patet, & tamen iuste illum damnat Iudex, ergo bellum est ex vtraque parte iustum.

Quartò, si res aliqua nullius domini sit, & simul à duobus occupetur simul, poterunt ambo pro illa pugnare. Imò contingere saepe potest, vt Princeps vterque habeat ius probabile ad aliquam Prouinciam occupandam, tunc absque vlla ignorantia vterque poterit pugnare. Deinde sit miles aliquis qui initio belli existimet bellum esse iustum, deinde in decursu belli cognoscat illud esse iniustum, is dum fugit aduersarium videt insequentem quem effugere non potest, nisi eum interficiat: ille in sui defensione potest illum interficere, quia est verè innocens, & aduersarius potest eum occidere iuste, ergo bellum est ex vtraque parte iustum. Valeret idem argumentum etiam si miles sciret ab initio iniustitiam belli, esset enim onus grauissimum si teneretur pati mortem, tunc cum hostem interficere potest. Denique sit famulus, qui domino suo furanti scalam admoueat, aut aliter licite cooperetur, ille occidi iuste potest ab iis qui damnum iniuste patiuntur, si malum alià ratione nequeunt vitare, & ille Vicissim se potest licite defendere, seruus bello captus fugere licite potest, & licite capi.

Dico primò, bellum esse saepe licitum Christianis, quamuis omnino implicet, vt illud ex vtraque parte sit materialiter & per se: licet formaliter & per accidens ex ignorantia saepe sit eo modo vtrunque iustum.

Primam partem Theologi omnes approbant primò ex Scripturis vbi saepe viri bellatores laudantur Genes. *14.* gesto contra quinque Reges bello, *benedixit Abraham Deo excelso.* Hebraeorum *11. sanctus*

NNnn 3 per

per fidem sortes facti sunt in bello, Castra verterunt exterorum. Dicitur placere Deo possessio militantium, primo Regum c. 25. *faciens enim, dominus faciet tibi domum fidèle, quia praelia domini tu preliaris dominemini.* Deinde adesse Deus dicitur praeliantibus, v.g. leuante manum Moyses vincit Israël in pugna. Idè etiam asserunt Sancti Patres, præsertim Augustinus l. 22. *contra Faustum* c. 74. *Epist. 5. ad Marcellinum* & 207. ad Bonifacium. Deinde ratio manifesta est, quia bellum vel est defensuum vel aggressuum, si primum patet omnino quod illud est iustum, quia vim vi repellere omnia iura permittunt. Si secundum, permittit etiam ius naturæ ut iniurias illatas vindicet respublica, repetendo satisfactionem aliquam, quâ demprâ nunquam incolumis stare posset communitas, imò ius naturæ permittit, ut quod iniuste aliquis amisit hoc recuperet, ergo bellum potest esse iustum siue aggressuum sit, siue defensuum.

Secunda pars de bello ex vtraque parte iniusto.

Secunda pars negat bellum esse posse iustum ex vtraque parte nisi per accidens, & ex quadam ignorantia, ab omnibus approbatur, & magnam tamen habet difficultatem, bellum videlicet iustum esse dicitur per se ac materialiter, quando iuste repetitur quod iniuste detinetur: formaliter verò est iustum quando aliquis putat inuincibiliter se iuste repetere aliquid, quod putat iniuste retineri. Probatur ergo quod per se bellum esse non potest ex vtraque parte iustum, quia implicat ut duæ voluntates contradictoriè oppositæ, sint iustæ, cum enim illæ idem haberent obiectum sequeretur, quod illud esset simul iustum & iniustum, ego eandem rem deberem habere & deberem non habere. Sed si bellum ex vtraque parte iustum esset, duæ voluntates contradictoriè oppositæ essent iustæ, tu enim debes habere quod iuste petis, & ego illud debeo non habere, contra verò ego debeo retinere id quod iuste retineo, neque tu illud debes habere. Ergo vterque nostrum debet idem aliquid habere, & non habere, quod implicat. Deinde implicat ut tu iuste aliquid à me petas, quod ego iuste tibi denegem, sed si bellum esset iustum, tum ex parte aggressoris, tum ex parte defendentis, aggressor aliquid iuste peteret, quod defensor iuste denegaret, ergo bellum non potest esse iustum ex parte aggressoris, & ex parte defendentis.

Solutio primæ difficultatis.

Ad primam Respondeo bella iusta nunquam in Scriptoris damnari. Loquitur Isaias de Doctoribus Evangelicis qui subacturi essent mundum, non pugnando au vim inferendo, sed pascendo potius & illuminando. Christus quando resistere malo, prohibet, iubet ut percutienti præbeamus alteram maxillam, vult duntaxat præcipere ut simus parati ad iniurias sine odio tolerandas, & prohibet eas vlcisci priuatâ autoritate, quod est per se malum in Concilio Nicæno ij solam damnantur qui susceptâ fide Christiana rursus infideli principi militabant, parati Christianam fidem abiicere. S. Leo & reliqui Patres eos tantum arguunt qui redeunt ad militiam, in qua vident se multa iam peccasse ac postea peccaturos. S. Martinus significat bellum sibi ut Monacho esse illicitum, non autem ut Christiano. Nam etiam ille post susceptam Christi fidem Iuliano militauerat per biennium. Denique bellum iustum nullo modo est contrarium paci charitatis quæ honesta est, imò potius medium est ad illam pacem.

Solutio secundæ.

Ad secundam Resp. multa quidem mala sequi ex bello iniusto, sed per accidens tantum, & contra intentionem illius qui iuste præliatur & hinc fit ut nunquam bellum sit iniustum, nisi posita summa necessitate.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam Respondeo in iis omnibus exemplis

quibus solet probari bellum esse posse iustum ex vtraque parte peccari primò, quia confunditur id quod est tantum per accidens cum eo quod est per se. Secundò quia mutatur definitio belli quod est vt dixi voluntas nocendi alteri ad repellendam iniuriam, vel ad eam vlciscendam. Primum exemplum est de illo qui arcem expugnat in qua multi sunt innocentes, dico autem istos innocentes qui arcem propugnant, posse se iuste defendere contra eum qui iuste illam impugnat, neque tamen dari bellum ex vtraque parte iustum, nisi per accidens, quia hostis ille arcem iuste oppugnans, non nisi per accidens pugnat contra innocentes. Secundum exemplum est de Iudeo qui secundum allegata, & probata punit innocentem. Nego autem quod tunc ille innocens possit occidere iudicem aut ministros, quod si aliqua iusta defensione vti potest, tunc patet quod bellum est ex vtraque parte iustum per accidens tantum, & quia iudex ignorat illum quem damnat esse innocentem: vel certe habet rationes ob quas eodem modo se gerit ac si nesciret eius innocentiam. Tertium exemplum est duorum qui simul rem eandem occupant quæ domino caret, patet autè ibi nullum esse bellum, quia in ea contestatione neque iniuria inferenda repellitur, neque illata vendicatur. Quod idem valet etiam quando in concursu id à duobus ambitur beneficium, tunc enim ibi est iusta ex vtraque parte contentio, sed non est iustum vtrunque bellum de quo loquimur cum nulla repellatur, vel vindicetur iniuria, imò potius vterque aggressor est, vterque defensor. Deinde ad exemplum illud de duobus qui rem occupant domino carentem. Respondeo quod si duo illa occupent æque primo, vel illa res debet diuidi si potest, vel sorte duci vt sit alterius vel fieri debet aliqua cōpositio. Quartum exemplum est de Principibus qui ex opinione probabili suscipiunt bellum. De quo dicitur statim. Quintum exemplum est de illo milite qui fugit postquam ab initio putauit bellum esse iustum. Respondeo autem, quod qui persequitur huiusmodi militem per se loquendo debet illi parere, si sciret illum existimasse inuincibiliter, quod bellum esset iustum ex sua parte, per accidens autem est quod hoc nesciat, & ita per accidens bellum est vtraque parte iustum est. Si autem ab initio cognouisti bellum esse iniustum, & hostis te persequitur, dubitat Molina, vtrum possis illum occidere. Putauerim ego quod si potes, petere teneris ab illo veniam & vitam, quam si nolit dare tunc occidere illum potes, quia in eo casu bellum ex alterius parte non est iustum. Sextum exemplum est serui iuste admoventis scalā, dum furatur dominus est autem eadē responsio ex præcepto quia si scires, quod seruus iuste admouet scalam domini, non posses illum occidere priusquam monuisses vt recederet, si autem monuisti, tunc fit reus, & iuste occidi potest, sed non potest iuste occidere. Septimum est illius qui captus est in bello, vel est coniectus in carcerem, & licet fugit. Respondet autem optimè Lessius l. 2. c. 13. dubitat. 5. n. 30. quod vbi non est propinqua, & directa impugnatio dari potest species quadam belli ex vtraque parte iusti, secus autem si propinqua & directa sit vtrunque impugnatio.

§. II.

Quanam sit causa sufficiens vt bellum sit iniustum.

Posita quod bellum propriè dictum possit esse licitum saltem ex vna parte, certum est esse iniustum quatuor ad

belli requi-
sita.

tuor necessariò requisita, vt iustum sit bellum, primò vt causa sit iusta, secundò vt autoritas sit legitima, tertio iustus gerendi modus, quartò intentio recta quod vltimum commendans meritò Augustinus l. 22. *contra Faustum* sic ait, *nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi libido dominandi, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur.*

Vt igitur exactè dicam de causa illa ob quam iustè Princeps mouere potest bellum aggressiuum, nam de bello defensiuo non est controuersia, videndum est quàm grauis illa esse oporteat, & quàm certò illa cognosci debeat, tum à Principe tum à militibus.

Prima dubi-
tatio de
principe in-
fidei.

Ratio autem dubitandi est primò, quia præter titulos illos qui reddunt bellum iure naturæ licitum, dantur etiam aliqui tituli, propter quos Christiani principes indicare possunt bellum infidelibus, & in seruicium illos redigere, à quibus nullà lacerati sunt iniuriæ, v.g. bellum indici potest Principi quia Christianam religionem non vult suscipere. Similiter etiam indici potest bellum Gentibus, quæ multa committit peccata contra naturam, & Idola colit.

Secunda du-
bitatio de
iure minus
probabili.

Secundò, si re diligenter examinata ius Principis appareat quidem probabile, sed alterius tamen partis ius sit probabilius, queritur vtrum tunc accommodando se iudicio probabili possit Princeps alteram partem bello aggredi.

Tertia du-
bitatio de
iure dubio.

Tertio difficulus est, quid facere debeat Princeps quando causa belli dubia est, idest quando in vtramque partem rationes sunt probabiles, neque satis constat, vtra pars præferri alteri debeat. Imò quando duo Principes supremi habent eo modo ius probabile vel Dubium, ita vt litem mouere possint, queritur apud quem mouenda sit lis.

Dico secundò, bellum aggressiuum nunquam potest esse iustum nisi sub sit causa quædam legitima, hæc autem est iniuria quædam grauis illata Reipublicæ, vel Principi qui debet esse de illa certus: milites autem & belli duces non tenentur examinare illius iustitiam, sed satis est quod non sint certi de iniustitia.

Necessaria
in causa le-
gitima.

Prima pars exigens ad iustitiam belli causam legitimam, per se nota est, tunc enim sine dubio peccatum est graue contra charitatem & contra iustitiam, quoties multa & magna inferuntur damna Proximo sine causa. Notant autem optimè Doctores fieri aliquando posse vt bellum non sit iniustum, & tamen sit contra charitatem atque adeò illicitum, v.g. si prauideat maxima vel Ecclesiæ vel ipsi Regno damna sequutura ex eo bello, & longè maiora quàm ea commoda quæ bello ipso quaeruntur tunc peccatur contra charitatem tum Ecclesiæ, tum Regno debitam.

Illa debet
esse iniuria
grauis.

Secunda pars explicat quamnam causa esse possit legitima inferendi bellum, nimirum aliqua iniuria quæ per bellum iustè compensanda vel reparanda sit, quia bellum est actus quidam iustitiæ vindictiue, quæ versatur circa punitionem, vel compensationem iniuriarum. *Iusta bella definiuntur solent* (inquit Augustinus quæst. 10. in librum solue) *quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens aut ciuitas &c.* Deinde iniuriam illam oportet esse grauem & damnis belli proportionatam: est enim iniustum grauiam inferre damna ob iniuriam leuem. Quenam verò illa sint iniuriæ fusiùs explicant Couarr. Castro, Valentia, videntur quæ reuocari posse ad tria capita. Primum est, si Princeps res alterius occupet quas nolit restituere: alterum, si neget communia iura gentium, vt transitum viarum, commune commercium: vltimum, graue damnum honoris aut famæ cuiusmodi

sunt violatio fœderis, defensio improborum & malefactorum fouere subditos rebelles. Præterea iniuria illa esse debet illata Principi vel Reipublicæ, vel certè fœderatis eorum ac amicis, qui habeant ius inferendi bellum: amicus enim est alter ipse. Denique talis debet esse illa iniuria vt non possit reparari aliter quàm illato bello, si enim Princeps qui offendit offerat satisfactionem aliquam condignam, bello non potest iustè prouocari. Imò qui offensus est, satisfactionem exigere prius tenetur, quàm indicat bellum, quia vt rectè dixit Augustinus *pacem voluntas, pacem necessitas.*

Tertia pars est de certitudine morali, quam tenetur Princeps habere de iustitia causæ ob quam bellum suscipit, affirmatur ab omnibus Doctoribus, & videtur euidens, quia in re tanti momenti vbi tanta mala pariuntur vtrique parti, temerarium omnino esset bello aggredi alterum sine titulo vel certo vel admodum probabili, est enim necesse vt Princeps iustitiam belli prius diligenter examinet quàm illud incipiat.

Requirunt
iudiciū pro-
babile.

Quarta, denique pars negat esse opus vt omnes hi, per quos bellum geritur à Principe certi sint de iustitia belli, vel quod illam examinent, satis enim esse quod certi non sint de illius iniustitia. Et quidem quoad milites & alios qui subditi sunt Principis bellum gerentis dubitari nequit, quin illi sequi possint in bello Principem suum, nihil de iustitia illa solliciti. Video tamen esse aliquos qui censeant, quod si posituè illi dubitent, tenentur inquirere: Sed hoc communiter reicitur, militi enim obedienti satis est scire quod Principem habeat iustum, & hac fide obsequi præceptis. De milite non subdito, sententia communior docet illum esse debere certum, de iustitia belli. Sed hoc meritò reiciunt Suarez, Vasquez, Nauarra, Castropalao, quia eadem est ratio militis subditi & alterius non subditi, cum in re quæ præsumitur iusta, nunquam iniustum esse possit alterum iniurare.

Certitudo
de iustitia
belli.

Ad Primam de bello inferendo infidelibus. Respondent communiter Doctores nefas omnino esse solam illam ob causam indicare bellum Principi præcisè quia Christianus non est, quia nunquam esse potest ius belli, vbi non est vlla iniuria. Si ergo non peccauit princeps, nisi quia Ethnicus est, neque impedit prædicari fidem Christianam suis subditis non potest ab extremo Principe bello peti. Aliud verò esset si fidem Christianam impediret prædicari subditis, si renuentes eos ad Idololatriam, aut ad hæresim adigeret, & illi ad fidem capessendam postularent subsidium, tunc enim liceret vim illam iniustam amouere. Hoc sublato nunquam solus titulus infidelitatis esse potest causa sufficiens inferendi bellum Principi non subdito, vt ostendunt Couarr. Valentia, Suarez. Si autem subditi alicuius Regis deficiant à Fide, neque alius coercendi eos suppetat, modus, bello eos potest coercere. Multo autem minus iusta potest esse illa causa quam multi fortasse obtenderunt de bellandi barbaros quod inepti sint ad se ipsos gubernandos.

Ad Secundam de opinione magis probabili, Respondeo ex dictis olim de opinione probabili, quod semper quidem sequi licet opinionem probabilem, sed in negotio tamen de quo agitur distinctione vtrū est: vel enim Princeps iudicium habet probabile, quod suscipere potest bellum, & sic sine peccato illud suscipiet, quia cum conscientia probabili semper licet operari: vel habet iudicium tantum probabile quod ius habeat ad tale regnum, & iudicium habet probabilius quod non habeat tale

ius,

ius, sed quod alteri competat, & ita non potest disturbare alterum à possessione regni neque inferre bellum. Ratio est, quia in pari causa, potior est conditio illius qui possidet, & ita ille qui possidet, iniuste disturbaretur à regno, & ita quoad utramque partem defendunt uterque Sanchez, Molina, Castro Palao, Reginaldus quibus quoad primam partem aduersantur Vasquez, Salas, Villalobos, quia putat hinc omnino sequi quod bellum ex utraque parte posset esse iustum etiam materialiter & per se, sed respondeo bellum esse posse iustum ex utraque parte, vel ex ignorantia, vel ex iudicio probabili. Hinc enim non sequitur quod potest circa idem esse duplex ius absolute contrarium, sed tantum ius probabiliter contrarium, & in opinione litigantium, quod nullo modo absurdum est.

Solutio tertia.

Ad tertiam de iure dubio. Respondeo etiam cum distinctione. Primum enim si alter Principum possideat & postea circa illam possessionem oriatur controuersia, tunc si res sit omnino dubia, iniquum esset bello spoliare possessorem, cuius potius est ius, eo ipso quod possidet, sed potest tamen ius suum probare rationibus quas possessor tenetur audire si autem renuat, bello vindicari potest iniuria. Conueniuntque in eo omnes Doctores. Secundum tamen si alter Principum ingressus sit possessionem post exortam controuersiam, vel certe si neuter possessionem sit ingressus, & omnino dubium sit ad quem res pertineat etiam post factam diligentem inquisitionem, tunc necessaria est aliqua compositio vel diuisio rei de qua dubitatur. Ita docent Victoria, Molina, Suarez, Becanus, Valentia, & ratio naturalis sic videtur dictare.

Ad id autem quod ultimo loco quærebatur, de illo apud quem supremi Princeps litem mouere possunt quando habent ius probabile vel dubium, Respondeo cum Suare, Vasque, Molina, rem decidi posse iudicio illorum qui mortuo Principe gubernant regnum de quo litigatur, quod si suspecti illi fuerint alteri parti, eligi de consensu partium debent arbitri, qui litem dirimant: est autem iniquum quod Princeps pro se pronunciet sententiam: vel quod stare possit iudicio iurisperitorum regni sui, qui dicent illum habere ius efficacius ad regnum: in tali enim casu cessabit dubium, & erit maior probabilitas de quo nunc non agitur.

§. III.

De personis que bellum indicere possunt ut illud sit iustum.

Alterum caput ex quo bellum potest esse illicitum est defectus autoritatis in persona illa per quam bellum indicitur, & in personis quæ illud gerunt.

Prima dubitatio de principe qui non est supremus.

Ratio dubitandi primum est, quia sicut Princeps supremus potest indicare bellum, eo quod non possit aliter obtinere suum ius, sic etiam Princeps non supremus, vel respublica superiorem habens, potest indicare bellum propria autoritate, si non possit aliter propulsare iniuriam, ergo non solius est Principis supremi bellum inchoare.

Secunda dubitatio de Clericis.

Secundum videtur quod Clerici qui bello interfunt, & in eo pugnant, nihil agunt illicitum, possunt enim bellum suadere, indicare, ducem aliquem constituere, si sint Principes temporales, ergo possunt etiam bellum gerere.

Tertia de illorum irregularitate.

Tertio, valde dubium est quomodo irregularitatem incurrant Clerici quando pugnant in bello, præ-

sertim si obtentâ facultate Pontificis bello interfint & occidant.

Dico tertio, neminem iuste posse indicare bellum, nisi fuerit supremus Princeps, qui superiorem in temporalibus non habeat: si vero habeat superiorem, bellum indicare nullo modo potest sine facultate supremi Principis. Clerici autem prohibentur militare solo iure Ecclesiastico grauius prohibente clericis militiam, extra dispensationem Pontificis, vel extremam necessitatem.

Prima pars probata manet ex prima conclusione, si enim bellum aliquando est licitum certe illud à supremis Principibus inchoari potest. Vtrum autem teneatur Princeps abstinere à bello eo quod velit Pontifex totam ad se causam auocare pendet ex alia questione de autoritate Pontificis.

Quod verò Princeps non supremus, vel respublica superiorem habens non possit autoritate propria bellum inchoare fatentur Doctores omnes cum Victoria, Caietano & Suare, quia semper est intrinsece malum autoritate priuata iniurias vicisci, ergo si renuat supremus Princeps nefas est indicare bellum etiam si fiat iniuria illi Principi qui alteri subest. Sicut priuatus homo cui iudex negat reddere ius non potest quidem occultâ compensatione uti, sed non potest apertâ vi ius suum vindicare.

Secunda pars de prohibitione facta clericis per Ecclesiam, habetur expressa in multis Canonibus, C. eos qui 20. quæst. 3. cap. quicumque Clericus 23. quæst. 8. ubi tamen non probentur bellum suadere, ac indicare, neque ducem belli constituere, si sint Principes temporales. Possunt interesse bello ut iuste pugnantibus succurrant in spiritualibus, imò & animant ad pugnam, quia hoc non est pugnare propriis manibus, quod vnus prohibetur: sed essent tamen irregulares, si ad aliquem in particulari occidendum milites impellerent.

Hoc cum certum sit de clericis illis qui ordines habent maiores, dubitatur tamen vtrum extendatur etiam ad clericos ordinum minorum. Verius tamen videtur illud non extendi, præsertim si non sint beneficiati, neque gestent habitum, si vero habent vtrumque crediderim illos ad summum peccare venialiter, cum Lorca, Turriano, Hurtado.

Tertia pars asserit prohibitionem hanc bellandi clericis factam nec esse iuris naturalis, neque diuini, sed Ecclesiastici tantum, doceturque à Molina, Banne, Suare aliisque communius contra Valentiam & Adrianum, quia Pontifex in iure naturali dispensare non potest, & tamen potest dispensare cum Clerico ut possit bellum gerere: possunt clerici quando illud ad defensionem patriæ aut vitæ necessarium est, vel ad obtinendam aliquam victoriam magni momenti, quibus in casibus non est necessaria Papæ dispensatio.

Ad primam & secundam Responsio patet ex dictis prima, & secunda parte conclusionis.

Ad tertiam de irregularitate Clericorum qui propria manu pugnant. Respondeo certum omnino esse Clericum illum esse irregularem qui pugnat in bello iusto, & propria manu aliquem occidit si absque dispensatione Pontificis, vel vna ex tribus causis quas enumerabam id faciat. Si autem obtentâ Pontificis potestate vel in casibus illis adductis bello interfint, & interficiat, Video multos esse qui dicant illum adhuc esse irregularem, sic enim censent Nauarrus, Caietanus & Bannes: Sed contrarium tamen probabilius omnino asserit Syluester, Paludanus, Castro, Suarez, Valentia, quia non incurritur irregularitas nisi in casibus qui sunt in iure expressi: ratione autem homi-

Supremus princeps potest bellum indicare.

Princeps non supremus non potest.

Prohibitio facta Clericis.

Prohibitio iuris est ecclesiastici.

Solutio tertiae dubit.

homicidij non sunt irregulares nisi qui occidunt iniuste, vel qui licite quidem occidunt sed tanquam ministri publici iustitiae: Clericus vero qui cum legitima causa bello interest, & in eo pugnat, neque illicite occidit, neque ut minister publicus iustitiae, ideo non incurrit irregularitatem.

§. IV.

Modus quo geri debet bellum, ut sit iustum.

Vltimum hoc caput de modo quo gerendum est bellum, multiplicem controuersiam continet circa ea quae fieri possunt & debent, initio belli, durante bello, & post partam victoriam in hoc enim triplici tempore, quaedam spectant ad supremum Principem a quo bellum indicitur, quaedam ad medios belli Duces, quaedam ad milites, possunt autem constare fere omnia ex dictis. v. g. primo quod Princeps antequam bellum inchoet teneatur omnia tentare ut accipiat condignam satisfactionem offensae, atque illa obtenta cessare a bello, alioqui bellum esse iniustum satis constat ex priori puncto de legitima causa belli. Secundo, quod toto belli tempore ante partam victoriam possit tum ipse tum milites inferre hostibus omnia damna, quae videntur esse satis ad obtinendam satisfactionem vel victoriam modo non sint intrinsecae mala, sicque posse milites praedari, sed ita tamen ut illae praedationes non se extendant ultra licentiam Principis vel expressam, vel rationabiliter praesumptam. Tercio, quod parta victoria victori licet omnia illa damna victis inferre quae satis esse poterunt ad iustam vindictam ac compensationem omnium damnorum, & ad pacem firmandam. Ita vniuersum statuunt Doctores ex quibus non est difficile statuere, quid necesse sit seruari tum in conflictu, tum post partam victoriam, tum circa nocentes, eos videlicet omnes qui possunt arma ferre in republica hostili: tum circa innocentes eos nimirum qui arma non possunt capere ut Clerici, mulieres, & pueri: quomodo videlicet illi omnes possint occidi, inseruitutem redigi, bonis spoliari.

Occisio nocentium & innocentium. Dico quarto, licite omnino quolibet nocentes in conflictu publico, posse occidi, post conflictum autem posse aliquos eorum in poenam occidi, tam multos autem occidere inhumanum omnino esse ac illicitum. Innocentes autem tum in conflictu tum post illum, nunquam omnino licitum esse directe interficere, licere autem eos indirecte interficere ac per accidens. Ita tradunt Syluester, Victoria, Valentia, & ex dictis videtur esse manifestum.

Hostium captiuitas. Praeterea iuste omnino ac licite posse hostes omnes bello captos, siue sint nocentes retineri a victoribus, fierique iure gentium illorum seruos, ac mancipia si sint inhdeles. Inter Christianos autem iure gentium receptum esse ut non fiant mancipia illi fideles qui capti sunt in bello, sed tantum ut honeste apud illos detineantur, donec se iusto pretio redemerint, quod privilegium ad Apostatas non extenditur, sed ad haereticos tamen extenditur ex consuetudine. Ita censent Doctores omnes citati.

Spolia ex hostibus. Denique bona qualibet mobilia capta ex hostibus tum nocentibus, tum innocentibus fieri capientium propria, siue Ducum, siue militum, qui ea possunt retinere absque alia vlla facultate, ne-

Tom. I.

que nunc consuetudine receptum esse ut inter victores diuidantur: bona vero immobilia solius fieri Principis bellum indicentis. Ita ferunt leges civiles, quas dabant Couarr. & Syluester. Supererat dicere aliquid de insidiis quas constat esse non solum licitas, sed laudabiles. De fide hostibus seruanda, quam certum est frangendam non esse nisi eam prior hostis frigerit. Demum de non aduocandis in auxilium infidelibus, quorum tamen opem constat non magis posse damnari, quam vltum fratrum in perniciem hostium.

Insidiae, fides seruanda.

SECTIO III.

De duello prout est contrarium paci Charitatis.

Bello de quo haec dixi suppar est duellum, quod est paucorum ac fere duorum bellum, sunt autem de illo scienda quatuor, primo, quid & quodplex illud sit, & quos ob fines fiat, secundo, quomodo licitum illud sit quando sit ad depellendam iniuriam nondum illatam, tertio, quomodo sit licitum quando sit ad vlticendam iniuriam illatam, quarto, quanam illius poena.

§. I.

Quid & quodplex sit duellum, & quos ob fines fiat.

Certum est primo, duellum recte defini, pugnam corporalem deliberatam quae fit inter paucos, vel ad purgationem criminis, vel ad consequendam gloriam, vel ad exaggerationem odij. Ad duellum videlicet tria solent exigi, primo ut sit pugna facta cum armis quibus mors possit inferri, alioqui contentio erit aut rixa, non autem duellum. secundo esse deliberata ex vtraque parte, ita ut ex pacto, & consilio praemeditato ineatur pugna, qui enim subito & sine praui illa deliberatione pugnant non sunt duellantes, nec eorum poenis subiiciuntur, sine hac itaque mutua conuentione non est duellum: Denique requiritur loci designatio in quem ambo conueniant, & in eo pugnent: si enim de loco non conuenerint sed facti casu obuij pugnare incipiant, tunc non est duellum, quod vtrique debet esse praemeditatum, tum quoad pugnam, tum quoad locum.

Definitio duelli.

Certum est secundo, duellum recte diuidi in illud quod sit autoritate publica, & illud quod sit autoritate priuata. Illud dicitur autoritate publica fieri, quod a Principe vel permittitur, vel praecipitur ad terminandum graue aliquod bellum aut ad eruendam veritatem, qualis est purgatio criminis alicuius obsecuti, hoc erat olim duellum solemne, circa quod plures erant decretae leges. Autoritate priuata dicitur suscipi duellum quod absque Principis mandato, aut permissione initur a priuatis hominibus, de quo fere solo hic est controuersia.

Varij fines.

Certum est tertio, quatuor esse potissimum fines propter quos duellum autoritate tum priuata, tum publica initur. Primus est, dirimendum bellum, cum scilicet inter Duces exercitus conuenit ut vnus aut plures ex vtraque parte inuicem pugnent, & ab ea parte stet integra victoria, cuius milites singulari eo bello vicerint. Alter finis est depulsio iniuriae nondum illata sed inferenda v. g. cum ad inueniendam veritatem criminis obiecti, reo neganti, duellum offertur aduersus accusatorem: & ita

○○○○

de